



PRÆFATIO

AD LECTOREM.



EX quo *Artem Pharmaceuticam*
proprio Marte excolere cœpi, *Le-*
ctor benevole, varia pervolvi
Dispensatoria Provinciis variis
Urbibusque dicata; verùm ea
omnia ac singula (inter quæ Bruxellense, quod
tamen pro Regula ac norma, juxta quam Offi-
cina instruuntur, plerique sibi proponunt) tam
gravibus enormibusque erroribus, ne dicam
absurditatibus, aspersa deprehendi, ut prius
Angia stabulum expurgaveris, quam errores
omnes ex eis expunxeris: ita quidem, ut eorum
plurimæ Compositiones præter inanes titulos nil
penè contineant, speciosis promissis, & Egro-
rum Crumena & Saluti insidiantes. Hinc illæ
Viduarum & Pupillorum lachrymæ, hinc in-
utiliter in Pharmacopoliis expensorum nummo-
rum deploratio; hinc denique tot inexpectati
Medentibus eventus, dum exhibita Pharmaca
potioribus viribus castrata destinatos effectus
edere

* 2

P R Æ F A T I O

edere recusant: unde sortem hanc iniquam miseratus, meliores componendorum Pharmacorum normas, exactioresque processus (ut Chymici loquuntur) queis tota Pharmaci virtus In concreto colligaretur, mecum meditari aggressus sum, cupidus, qua de Medicamentorum Compositione animo conceperam, in unum contrahere opusculum, commodeque publico devovere: verum ab hac mea intentione non pauca me hactenus retardarunt, sperans interim futurum quempiam, qui densissimis tenebris abditam Veritatem vindicaret in lucem.

Tandem tamen ulteriorem stimulum addidit ultima Pharmacopœa Bruxellensis Editio, quæ, quamvis Editionibus præcedentibus correctior hinc inde existat, quantum tamen errorum etiamnum eliminandum restet, sedulo cuius Veritatis exploratori ex sequentibus facile patet: Occulto inquam stimulo urgeri me sensi, ut Pharmacopœam Bruxellensem (quod ea hic maximè in usu sit) simul cum Compositionibus quibusdam aliis Lovanii usitatis, ad rectæ Rationis incudem revocarem: ut habeant Pharmacopœa in Compositionibus quam certam imitentur Regulam, Ægri ad quam in afflictionibus suis confugiant, sacram Anchoram; Medici verò, queis adversus Morborum agmina interriti progrediantur, certas veluti Panaceas.

Rei

AD LECTOREM.

113

Rei quidem gravi & ardua, nec parvi mo-
liminis negotio, quod ab aliis suscipi maluisssem,
humeros meos subjicio, sed cui dabunt & Veri-
tas & Ratio levamen, eas enim ubique Duces,
nulli Authori vel Magistro mancipatus, secutus
sum. Nec ingentes mihi Calumniarum & Ca-
villationum Procellas imminere ignoro ab in-
dignantibus quibusdam ignavis & imperitis,
qui solent in verba jurare Magistri, ac mag-
num piaculum ducunt à Veterum Authoritate &
præconceptis semel erroribus vel latum unguem
recedere, quamvis vel inviti videant meliora:
verum eas omnes (dante Deo O. M.) flocci fa-
ciam ac ipsa Veritate propugnatrice propulsabo:
dum interim de bonis omnibus, tum Clarissimis
(qui jam tum hisce conatibus meis præclaro suo
testimonio subscribere dignati sum) ac Expertis-
simis Medicis, tum sedulis ac peritissimis Phar-
macopais, quibus proximi bonum cordi est, eam
spem concipio, firmiterque mihi polliceor, quod
mecum ambabus ulnis Veritatem amplexuri sint,

Ne tamen quis existimet, me velle totas Com-
positiones evertere earumque ingredientia, quæ
tamen apertè sapè inter sese repugnant, exa-
minare (illud enim versatissimos ac longa re-
rum Experientia edoctos Practicos negotium
expetit) sed præcipuos tantum errores (omnes
enim ad amussim demonstrare, non paucorum
Charta

PRAEFAT. AD LECTOREM.

*Charta foliorum, sed magni voluminis opus
existeret) enodandos ac emendandos suscepi,
confusum hinc inde ingredientium chaos in or-
dinem redigendo, Compositionum, eâ, quâ pos-
sibile est, brevitæ dexteram præparationem
subjungens, quæ, si quis immuni à præjudiciis
animo diligenter persculeturque perlegerit, ac
justa Rationis Lance librarit, non potest, quin
vel invitus conatibus meis subscribat, mihi quæ
ac Veritati adstipuletur.*

*Hiscæ igitur, Lector Amice, quæ mihi &
Veritatis & boni publici, quibus labores meos,
meæque omnia lubens consecro, pius amor ex-
torset, fruiere & vale, meosque conatus æqui
bonique consule.*

CHRONICON

MONITORIUM.

LEGE SINE CORDE ET ANIMO
PARTIALI.



AUTHOR